



FRATER STEPHANVS A TIPHERNO FRATRVM CAPVCINORVM
SACERDOS.

(196)

P. F. STEPHANVS A TIPHERNO METAURENSI, Sacerdos, ex honesta Bevilacqua progenie ortus, divina benedictione praeventus, a puerili aetate, ipsa aetate major, senilia dumtaxat in animo versabat. Sub ipso autem adolescentiae crepusculo ea illius perpetuo vox erat, sibi ad Capucinos eundum, & cum iis commoriendum. Hac porro majori ex parte summa devotione peracta (quippe qui quotidie in solitudine fecedens, ob Dominicam Passionis memoriam se se plagis, & verberibus onerabat) cum primum 22. annum attingit, quam animo, ac voce jam amplexus fuerat, tum vita, & habitu Capucinatorum tandem Religionem induit. Inter quos quot, quantisque virtutum splendoribus ceteris Tyronibus praerulerit, non facile succincte scripsero. Auferitatis, & paupertatis cultor eximius, 38. annorum spatio tres tantummodo habitus consumpsit. Tam candida quoque pudicitia enitebat, ut virginitatem, quam e matris utero tulerat, eandem in morte prorsus illibatam reddiderit. Humilitate, obedientia, abinentia, silentio, patientia, in adversis animi constantia, in Deum & aegrotos mirifica charitate taliter emicabat, ut perfectionis quodammodo proximaret ad apicem, omnesque eum quasi vivum suspicerent virtutis simulacrum. In oratione assiduus, illam uberrimis lacrymis perpetuo irrigabat. Hunc igitur praeclearissimarum virtutum cum Stephanus in se ipso cumulum circumferret, ex eo mox caelestium signorum fulgor rutilare coepit, quorum hic aliqua recenserebimus. In Montismonaci oppido mulier erat, cujus in uberibus lac aruerat; Novanae quoque Laura Silentia eadem lactis penuria laborabat, quas Vir Dei sua benedictione communiens, copiosum mox illis restituit. Pelacina Feretta, nobilis Anconitana, graviter febr-

citans, Crucis signo, una cum JESU nomine a Stephano accepto, illico convaluit. Heria Guidonia, jam triennio gravissimis corporis doloribus taliter afflicta, ut, adhibitis frustra cunctis remediis, desperata valetudine decumberet, cum eam Stephanus Crucis signo multoties obfignasset, mox dolore mitescente, brevi tempore omnino incolumis evasit. Bradamas quoque Andreae a Monte Ulmi uxor tam gravi cachexia jam per annum oppressa fuerat, ut viribus omnibus destituta, ad vitam properaret occasum; quae, simul ac Stephanus, praevia oratione, nonnulla Crucis signa illi adhibuit, sine mora integre convaluit: Lucas oppidi Montiscodori incola, cum ex paralyti alterius corporis partis usu, ac sensu careret, Vir sanctus per totum vix Crucis signaculum extendit, cum mox perfecta incolumitati restituitur. Postremo F. Joannes Macerataensis ex Nostri, Laicus, continua febre, & gravi stomachi dolore correptus, extremum sibi diem adesse arbitrabatur; cum Stephanus, manum stomacho admovens, protinus ab eo doloris pellic aculeos, febris post alteram diem penitus fugata. His, & aliis plerisque miraculis conspicuus, cum 38. in Religione, aetatis autem 55. annum expleisset, Maceratae pleuritide corripitur, quo tempore, obitus sui die, & hora Fratris adamussum praesignificatis, caelestibus totus inhaerere coepit; hora autem exitus sui appropinquante, Divino lumine perfusus, nonnulla edidit laetitiae signa, pauloque post, oculis in Coelum erectis, placidissime in Domino obdormivit. Ab obitu autem annis aliquot elapsis, F. Dionysio a Tipherno magno gloriae splendore circumdatus apparuit; Caroque ejus mollis, ac palpabilis, demortui nihil praeferebat. Obiit Anno 1603.